

minum Comitem Georgium Erdödy, veluti modernum ejusdem Arcis possessorem, sponte oblata exolutione, per Tractationem superinde instituendam, clementer effectuaturam obtulit.

§. 2. Cum ea tamen cautela; ut idem Dominus Comes, ad militem hujusmodi, tempore necessitatis iterum recipiendum, sit obligatus. *)

*Coloni Caproncenses, Regno et Sacrae Coronae incorporantur, Contributio-
nibusque et Jurisdictioni Regni, ac Decimarum solutioni subjiciuntur.*

Articulus 100.

Super Colonis Caproncensibus, Regno et Sacrae Coronae incorporandis, Contributionique et Jurisdictioni Regni ac Decimarum solutioni subjiciendis; renovantur et observentur, Art. 35. Anni 1635. et Art. 68. Anni 1655. **)

§. 1. Et, si quid ea in parte difficultatis supererit; in praecitata Commissione Viennensi finaliter determinari et complanari valeat.

*Libera Boum pulsio, per Territoria Regni Croatiae et Sclavoniae ac Portum
Buccari; admittitur.*

Articulus 101.

De libera Boum pulsione, per Territoria Regni Croatiae et Sclavoniae, ac per portum Buccari; Articulus 43. Anni 1635. Articulus 54. Anni 1638. et Articulus 70. Anni 1655. in suo vigore maneant. ***)

De finali fortificatione Praesidii Berkisservina; prout etiam Munitione Confiniorum Banalium et Colapianorum, praestanda.

Articulus 102.

Necessarium etiam existimarent Regnicolae; ut pro reali ac finali Praesidii Berkisservina, in illis Confiniis existentis fortificatione et aedificatione, juxta Articulum 31. Anni 1618. Art. 42. Anni 1635. Art. 14. Anni 1638. et Art. 34. Anni 1649. Summam illuc ordinatam et aliqua in parte administratam; sua Majestas ulterius quoque ac finaliter persolvi facere; illisque Confiniis Banalibus et Colapianis, de ulteriore munitione clementer providere dignetur: Prout etiam sua Majestas successive sese effectuaturam benigne obtulit.

*) Confirmatur; An. 1662. a. 3., An. 1681. a. 72.

**) Urgetur; An. 1681. a. 70.

***) Renovatur; An. 1681. a. 69. et novissime; An. 1741. a. 55.